9

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE PRAECIPVIS AVRIVM MORBIS

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO SVMMIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANNES HENRICVS HORLACHER

Crailshemio - Onoldinus.

DIE VIII. SEPTEMBRIS MDCCXCII.

GOTTINGAE

TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

PATRI OPTIMO BENEVOLO

GEORGIO PHILIPPO HORLACHER

CHIRVRGO PTOCHOTROPHEI CRAILSHEMENSIS

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

IN

PVBLICVM GRATI ANIMI MOMENTVM

SACRAS ESSE VOLVIT

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Solemne eſt, ut honorum academicorum candidati, antequam voti ſui fiunt compotes, ſpecimen inaugurale exhibeant.

Singularis quaedam ratio ſuaſit, de praecipuis aurium morbis medicam conſcribere diſſertationem. Quum vero cauſis inproviſis prius ab academia avocatus ſim, quam eam relinquere in animo erat; tantum temporis labori impendere non potui, quam munus ſuſceptum poſtulavit, ut perfectum omnibusque numeris abſolutum prodiret. A labore meo jam inchoa-

to deſtitiſſem, aliudque minoris momenti elegiſſem argumentum, ſi tam paucae dies ſatis fuiſſent, de quacunque materia aliquid perfecti conſcribere.

Quod ſufficit excuſationi, nec quid monendum ſupereſt, Benevole Lector, *niſi quod memorem te cupiam, primum qualemcunque tironis laborem aliquam ſemper indulgentiam mereri.*

DE

De Otalgia.

Inter aurium affectus praeternaturales principem ſibi vindicat locum Otalgia, ſive qualiscunque aurium dolor.

Duplex otalgiae genus occurrit; alterum cum inflammatione junctum, (Otalgia vera aut acuta) alterum morbum ſiſtit chronicum (otalgia ſpuria.)

Otites nunc internas occupat auris partes, nunc externas; unde Otites internus vel externus nominandus eſt. Inflammatio plerumque membranam meatum auditorium inveſtientem, & glandulas ceruminoſas vel folliculos ſebaceos pre-

 hendit;

hendit; rarius vero internam aurem, tympanum nempe ac labyrinthum afficit.

In utroque otite conqueruntur aegri de dolore acutiſſimo, punctorio, lancinante, tenſivo & pulſatili, qui ſaepe adeo ingraveſcit, ut gravia ſuperveniant ſymptomata, periculum minantia, ut febris acutiſſima, anxietas ſumma, pervigilium, delirium, inque ſubjectis ſenſibilioribus, convulſiones, tandemque ſaepius intra paucos dies mors. Non raro etiam partes vicinae afficiuntur.

Cauſam agnoſcit otites multifariam: cauſae occaſionales eaedem fere ſunt, quae aliorum partium inflammationes excitant; nimirum: ſubitae tempeſtatum atque aëris viciſſitudines, refrigerium repentinum corporis exaeſtuati; plethora ex neglecta ſan-

ſanguinis miſſione, & ſuppreſſione haemorrhagiae conſuetae orta. Cauſae otalgiae propriae ſunt, ſubitum frigus capiti calefacto applicatum; oſſis temporum percuſſio vehemens; medicamenta acria auri admiſſa; auriſcalpii improvidus uſus; aliena in aurem illapſa & ingreſſa, ut fabae, piſa, calculi, vermes aliaque inſecta, quae rodendo irritandoque dolores haud raro vehementiſſimos, convulſiones, immo ipſam quandoque mortem inducunt; exanthemata porro retrogreſſa, ut tinea, achores, favus, ſcabies, herpes &c.; pocula aut ſtudia nimia; illaque omnia, quae ſanguinis motum verſus encephalum augent.

Non aliter res ſeſe habet cum cauſis praediſponentibus; favet nempe huic morbo praeprimis aetas juvenilis, virilis, cor-

pus rigidum, robuſtum, exercitatum, diaeta ſpirituoſa, carnea &c. & in his facile revertitur, qui jam ſemel ab eodem tentati fuerunt.

Terminatur autem otites, in perfectam ſanitatem, alium morbum aut mortem. In perfectam ſanitatem terminatur, reſolutione benigna, aut evacuatione critica, per ſudorem nempe aut urinam, vel per narium haemorrhagiam &c. Otalgia rheumatica lubenter per ſudorem aut urinam ſolvitur.

Alium morbum plerumque inducit ſuppuratio, (ad quam frequentius quam ad diſcuſſionem tendit otites) atque tumores ſcirroſi, quia ſaepiſſime gravem auditum aut ſurditatem immedicabilem vel ulcus ſordidum relinquunt, quod facile tenellos oſſis petroſi receſſus carie inficit,

ubi ipſa auris oſſicula una cum pure efflu- unt. Sin autem abſceſſus non rumpatur, nec per artem educatur, ſanies foetida in maſſam humorum abſorbitur, febrisque lenta oriri ſolet.

In mortem denique finitur morbus, criſi erronea, materie nempe morbifica cerebrum petente, obruente, inflammante, apoplexiam excitante &c.; abſceſſu inter- no, clauſo, non aperiundo, quo facto phthiſeos ſpecies oritur, febrisque lenta depaſcens; atrocitate porro doloris, & tandem gangraena.

Haec de otalgia acuta, nunc pauca de chronica monenda ſunt.

Dolor in hoc morbo non tam atrox eſt, & potius diuturnitate, quam vehementia moleſtus.

Corri-

Corripiuntur praecipue otalgia chronica ii, qui ſanguineis aut ſeroſis ad caput defluxionibus ſunt obnoxii, aut quibus pedes perpetuo ſudore madent. Amat praeterea aetatem ſenilem, tempore humido, ventis, nunc calidis, nunc frigidis agitato. Nec pueri ab hac aegritudine immunes ſunt, nam ſaepius circa eruptionem dentium molarium diris aurium doloribus vexantur. Frequens quoque conſenſus obſervatur otalgiam inter atque affectiones rheumaticas, catarrhales & arthriticas, atque cum iisdem alternat.

Ab otite non niſi febris abſentia dignoſcitur otalgia chronica, cauſae enim utriusque morbi communes ſunt, & eaedem fere, quae alios aliarum partium dolores excitant. De his vero jam ſupra recenſitis, nonnullae hic ſeorſim adhuc

huc nominandae ſunt, cum hanc, de qua nunc agitur, ſpeciem morbi praecipue gignant, & non niſi diatheſi inflammatoria jamjam praeſente, aut aegro admodum irritabili & plethorico vel ad concipiendam phlogoſin opportuno, priorem ſpeciem, i. e. otalgiam inflammatoriam cum febre acuta procreare valeant.

Favet praecipue morbo huic chronico: aër frigidus calenti corpori ſubito admiſſus, & inde nata perſpirationis cutaneae ſuppreſſio, eruptionum cutanearum praecipue chronicarum retroceſſus; acrimonia humorum in genere, quae, accedente cauſa occaſionali quaecunque, ad aures inprimis eſt determinata; metaſtaſis febrilis; dens molaris carioſus; aliena in meatum auditorium illapſa, intruſa; vermes in eodem ingreſſi, vel innati; nervorum affectiones

&

& ſpasmi muſculares, fibrillas nerveas contiguas una diſtrahentes, quae cauſa in hyſtericis & hypochondriacis ſaepius obtinet; ulcera aurium chronica, & denique morbi alii capitis praecipue & hypochondriorum.

Magna ceteroquin otalgiam inter atque ophthalmiam ſeroſam, aut dentium dolorem, reſpectu cauſarum remotarum, ſimilitudo intercedere videtur.

Quum hic morbus, praeprimis ſi auris occupet interiora, adeo ſit periculoſus, neceſſe eſt, ut cito debitis ſuccuratur remediis, quae pro differentia cauſarum imprimis, nonnunquam variari debent.

De auditu depravato.

Depravate audiunt ii, qui leves etiam ſonos, vel certos ſolummodo, aut quodammo-

dammodo fortes absque moleſtia aut dolore perferre nequeunt, quod vitium auditus acutior, Graecis *Oξυκοια*, dicitur: depravate porro audiunt, quibus, cum nihil ſonat, aures tamen tiniunt, ſuſurrant, ſtrepunt, aut inſtar echus ſonos repetunt.

Debetur auditus acutior aut nimiae nervorum acuſticorum ſenſibilitati, aut praeternaturali membranae tympani tenſioni, fibrarumque muſcularium ad aures internas ſpectantium auctae irritabilitati.

Auditus nimis acutus ut morbus primarius raro occurrit, ſaepenumero autem alias corporis adverſas valetudines conſequitur: ſupervenit praeprimis morbis acutiſſimis, inflammatoriis, ſpasmodicis, doloroſis, otalgiae, phrenitidi, cephalalgiae &c. Comitatur & deliria febris expertia,

pertia, maniam, melancholiam. Hyſtericis ceterum, hypochondriacis, puerperis, ex gravi morbo etiamnum teneris, in pervigilium pronis, ſummatim irritabilibus familiare malum.

Tinitus, bombus, ſuſurrus & ſibilus affectus ſunt vel tranſientes, vel continue affligentes, quandoque etiam tanquam ſymptomata aliis ſuperveniunt morbis. Fugax ſymptoma etiam ſanis ſaepenumero accidit, levibus ex cauſis oriundum. Perſeverans diutius, ſive ſolitarium fuerit, ſive morbis aliis adjunctum, majoris momenti, variique ominis eſt. Naſcitur autem, quando tremores, ſonoris ſimiles, in meatu acuſtico, membrana tympani, hujus cavea, parietibus atque aëre interno, oſſiculis, membranis, ceterisque interioribus organi partibus, cientur a vaſ-

culis diſtributis, ob plenitudinem, preſſionem externam, obſtructionem, inflammationem, ſolito fortius pulſantibus. Unde plethoram, morbos febriles, acutos, inflammatorios, maxime qui caput infeſtant, catarrhos, evacuationes ſuppreſſas, decubitum humorum in has partes vicinasve eorundem impetum ſurſum verſum, hinc delirium, ſanguinis ex naribus profluvium, parotides &c. imminentia ſaepae comitatur. Muſculorum quoque ac fibrarum motricium in his locis ſpasmi, tremores convulſivi, in hyſtericis, hypochondriacis, epilepticis &c. idem efficiunt. Quocirca aut relaxatio, aut tenſio immodica partium hujus organi, qua nimis facile agitatur, aut motae diutius, quam par eſt, contremiſcunt, huc quoque confert; nec non tubae Eu-

ſtachianae varia vitia, quae juſtum aëris intra caveam tympani moderamen pervertunt. Denique & multiplex affectio partis nerveae, quae ad auditum pertinet, inde ab organo usque ad origines ſuas, tum & encephali preſſione, irritatione, aut primario, aut ob mutuam cum aliis partibus conſenſionem, laeſi; ut ſaepenumero haec etiam cauſa ſubſit, quare capitis morbis inflammatoriis, ſoporoſis, catarrhoſis, ſpasmodicis, nec non ventriculi vitiis &c. iſtud ſymptoma ſeſe adjungat.

Nec ſilentio hic praeteriri debent, quaedam ſingularia prorſus atque rara auditus depravati exempla; ut interdum nempe perſonae non alio modo verba loquentis aut alios ſonos percipiant, niſi crepante quodam inſtrumento vel aliquo ſtridore:

audi-

auditus quoque duplicatus a SAUVAGES ſub nomine Paracuſis duplicatae deſcriptus, huc pertinet.

De difficili auditu & ſurditate.

Si ſonus a corpore ſonoro editus vix, nec niſi in propiori a corpore ſonoro diſtantia percipiatur, morbus dicitur difficilis auditus, Graecis βαρυηκοια aut etiam δυσηκοία; ſi vero auditus ex toto abolitus ſit, ſurditas, a Graecis κώφωσις vocatur.

Uterque affectus eſt vel connatus, vel adventitius, ſubitaneus vel lentus; continuus vel intermittens ſeu periodicus; idiopathicus porro vel ſympathicus.

Gravis auditus & ſurditas easdem agnoſcit cauſas, intenſitatis gradu ſolummo-

do differentes. Magna earum multitudo eſt & diverſitas, nec minus multiplex ſedes. Plurimae nimirum partes ſunt, & plures etiam ſingularium conditiones, quae cum ad integritatem hujus ſenſus faciant, vitiari nequeunt, quin functio impediatur.

Utriusque morbi cauſae fere hae ſunt:

Auriculae defectus vel naturae errore, vel a vulnere.

Meatus auditorii externi obſtructio; obſtruitur autem membrana praeternaturali, ut in neonatis nonnunquam obſervatur; a glandulis ejusdem tumefactis; a parotidibus eundem comprimentibus; a corpore peregrino in aurem illapſo; a cerumine copioſo, ſordibus remixto & indurato; ab intumeſcentia parietum vel

ab

ab excreſcentiis fungoſis, ab inflammatione ac meatus auditorii praegreſſa laeſione ortis; ſcirrho; ab ulcere antiquo ſordido, aut etiam a vulnere male cicatriſato &c.

Euſtachii tubae laeſio & obſtructio: eadem ratione ſaepe laeditur & obſtruitur, muco ſpiſſo aut ſordibus cujuscunque generis, tumore porro, vel inflammatione veli palatini, partiumque adjacentium: quod non raro accidit, ſi catarrhus nares, vel etiam angina, aut ulcera venerea fauces occupaverint.

Aphthae quoque ſi eam membranae pituitariae partem, quae tubam ingreditur, inſideant, idem, quod catarrhus, efficiunt. Nec minus polypi e naribus in palatum propendentes, orificia tubarum claudere, & auditum obtundere poſſunt.

Membrana tympani diverſa ratione peccans. Membranae hujusce vitia varia ſunt, nimirum craſſities juſto major, rigiditas, durities; flacciditas, quam inducit, tenſio vehemens praegreſſa ab aëre violente in eam ſeu per porum acuſticum ſeu per tubam impacto tempore fragoris, colaphi, exſpirationis naribusque ore clauſis, emunctionis validae narium, ſternutationis &c. maceratio porro, praeſertim per applicata externa relaxantia, ut ſunt vapores aquoſi tepidi, infuſa oleoſa, aquoſa &c. Continuitas ſoluta, per vulnus, eroſionem, aëris exſpirati, praeſertim clauſis naribus & ore, violentum in myringem impulſum. Pſeudomembrana decidua myringis in neonatis, ſi non ſecedat, ſed craſſior potius facta myringi arctius

ctius cohaereat, connatam ſurditatem cauſare ſolet.

Vitia tympani caveae inhaerentes: quae ſunt interſepimenta; membranae feneſtrarum oſſificatae; extravaſata, ut aqua, ſanguis, pus &c. Auditus oſſiculorum luxatio, anchyloſis, caries, diſſolutio, abſentia. Muſculorum acuſticorum deſtructio, (vulnere, ulcere &c.) vel immobilitas (ob atoniam, paralyſin, preſſionem, rigiditatem &c:) membranarum quae in cavea expanſae ſunt, laxitas, ſiccitas, degeneratio, deſtructio; vaſculorum a congeſtis humoribus tumor, obſtructio; veſtibuli, cochleae, labyrinthi infarctus, conformatio perverſa &c.

Organo tamen inviolato, apparatus etiam nerveus, huic ſenſui datus, inde

ab organo ad ſenſorium usque commune preſſus, deſtructus, marcidus, rigidus, ſtupidus, aut ipſum cerebrum labe univerſali, apoplectica, epileptica &c. oppreſſum, relaxatum, exhauſtum, aut quovis modo inhabile redditum, quandoque in culpa eſt.

Tantum.

THESES.

I.

Euſtachii tubae uſus nondum adhuc ſatis declaratus videtur.

II.

Balnea quaecunque haemoptoicis & ad apoplexiam praediſpoſitis periculoſa.

III.

Nulla eſt febris continens ſtricte ſic dicta.

IV.

Non datur febris ſpecifica puerperarum: eſt enim varia vario anni tempore.

V.

Miliaria non ſemper generantur a calido regimine.

VI.

VI.

Cortex peruvianus, lichen islandicus & polygala amara non ſemper proſunt phtyſicis, immo nocere poſſunt.

VII.

Ubi indicatio eſt venam ſecare, opium & veſicans contraindicantur.

VIII.

Convulſiones, quae adultos corripiunt, ſunt periculoſiores, quam quae tenellos invadunt.

IX.

Omiſſio deligationis funiculi umbilicalis inquiſitam non gravat.

X.

Infanticidium optime praecavetur, imminuendo graviditatis illegalis ignominiam.

XI.

Haemorrhoides nunquam oriuntur a plethora.

XII.

Nullus eſt conſenſus niſi per nervos.